



APOLLINEM
EX VETERE HISTORIA FABVLARI
STRICTIM VINDICAT

ATQVE AD
ORATIVNCVLAS QVASDAM
PVBLICE HABENDAS

DECENTER INVITAT
M. IOH. CHRISTIAN. LEVSCHNERVS.
PRORECTOR.

HIRSCHBERGAE, LITTERIS KRAHNIS.



ЛЕНДІОСА
РАВЕНСКАГО СІЧЕВІХ
ГІРІЗОНТОВИХ

СІДОР
МАСЛЯКОВАНОУЧЕНОГО
СІЧЕВІХ ГІРІЗОНТОВИХ

СІДОР
МАСЛЯКОВАНОУЧЕНОГО
СІЧЕВІХ ГІРІЗОНТОВИХ

СІДОР
МАСЛЯКОВАНОУЧЕНОГО
СІЧЕВІХ ГІРІЗОНТОВИХ



Q. D. B. V.

Philosophiam, vix degustata quae leviter est, a Deo quam saepissime ac rebus abducere diuinioribus, hausta dum contra fuit penitus, ad sinceram reducere pietatem et verum purissimaeque religionis cultum, scite satis monuisse atque intellegenter, Franciscus ille Baco a Verulamio videtur. (a) Minuti enim eiusmodi philosophi, qui vltra praecepta, quae opinione complectuntur, vulgaria rarerter sapiunt, pessimis non nunquam vitiis a pueritia coquinati, data sibi nescio quae maiora putant ingenia, quo insolentius non quidem sequirationem, quam ostentare impudenter consuescant. Quinimo licentiosorum fortiumque sub nomine placent sibi vel eam ob caussam mirifice, qua prouecti ad verba, quicquid insulsis suis et male summis opinacionibus ad amissim hanc conuenit, carpere petulanter atque ingeniola veris sapientiae praeceptis nondum imbuta diligenter nec firmata contortis et aculeatis quibusdam audent ratiunculis tanquam retibus implicare ac decipere. Sunt scilicet hi, quod mireris, insanientis sapientiae consultissimi ad verum depellendum friuolis captionibus exagitandumque insigneriter apti, ad exquirendum autem hoc, speciem quando sic tueruntur fallaciter, blenni prorsus bardique et inepti quam maxime dignoscuntur. Quia quidem in caussa vti delirant peccantue complures insipide; ita simili prope modum ratione, peiusne tamen dicam nescio, an iniquius, delinquunt, qui, dum in scriptis veterum explicandis versantur, rem istam, nunc cum animi quedam stupore, nunc morum infecti prauitate, nunc alia sub eiusmodi persona temeraria, nullis idoneis instructi doctrinae praesidiis

A 2

diis

a) De Augment. scient. L. I. p. 8. quocum consentiunt illustr. a Ludwig in diss. de vita aeterna ex ratione gentiu[m]que confusu s. I. Spenerus in Confess. naturae contra Atheistas P. I. p. 125. Merentur tamen hac in causa etiam singulariter legi Cel. Baumeister in diss. de Philosopho, bono Christiano. Viteb. 1735. et Cl. I. A. Glob. lach in diss. de pietate Philos. Vir. 1711.

diis aggrediuntur. Haec nimirum singula quam monstrosas, ideoque et reiectaneas, peperint opiniones, quantum bonis itidem litteris nocuerint et nostra noceant aetate in primis saepiuscule, neminem facile quemquam praeterit, nisi nihil non nesciat iuxta cum ignarissimis. Etenim boni qui generatim cupit interpretis munere rite defungi, eam omnium primam obseruare legem curatius tenetur, qua perite, quae sub verbis seu simulacris signisue delitescunt, explicet, et nihil vnamquam, quod non monstrant verba, temere inferat. Quae cum vere ita sumantur, is non secus agere, quin eadem vti lege sapienter debet, veterum qui legere scripta intellegenter et interpretari aliis, non sine fructu, instituit; quoniam animum praeferit ut arcum habeat intentum oportet, Paullo aiente Leopardo, (b) qui cum laude ista velit antiquorum monumenta enucleare. Indigent singulari quodam insimul cautione huius generis conatus; vel quia libri sunt, quos loquimur, saeculis ante nos scripti non adeo propinquis, et quidem ab iis dein, ad quos purioris nostrae religionis caussa nihil attinebat et felicitas, multaque propterea videntur, quae nec dixeris bonae omnino frugis, comprehendere. Quamquam, vt rem ipsam illico, paucis tamen expediamus, ea tertio quasi ordine posita nihil vnamquam habent periculi, aequum modo semper et peritum, neque ex iis, antea quos reiecumus, aliquem nanciscantur interpretem. Si qua in ipsis enim obueniunt, notae quae poterant deterioris censeri forsitan onerata criminibus, vitia saltim haec adeo prudenter idoneus eximit et declinat interpres, vt adolescentulis ad pudorem, excitandosque virtutum potius igniculos conducant, illud quemadmodum Melanthon, (c) Camerarius, (d) H.

(b) Emend. X, 10. Mirifica subinde voluptate capiebamur, quum ante dies aliquot, libellum Excell. Ernesti pro grammatica interpretatione legeremus, ubi eam, quae verborum est, eruditie firmat, intellegenterque docet, quid sit de reliquis praecipendum; illi tamen quantum eriam inhaereat difficultatis, nec reticerit. prodit Lipsiae a C. clo lccc XXXXVIII. Est enim haec caussa, eo tenenda magis, quo turpius sollet nunc fere neglegi.

(c) Tum ad Hesiodum, tum in Epist. de legendis tragœdiis et comoediis veterum a p. 244. et passim in aliis.

(d) Pariter versatur ille germaniae phoenix, vti vocatur a Meibomio ad Hippocr. op. p. 96. Sigillatum in Epist. Nuncup. ad Plauti comoedias, aliaque iisdem adnexa; ad questiones Tuscul. et quid queso non ita docuit vir laudibus nostris longe maior?

H. Vuolfius^e et alii dudum cum virtute vtiliter, nec sine ini-
gni fructu docuerunt. Interea quicquid in aliquibus etiam ve-
terum scriptis vel maxime sceleribus putatur obnoxium, si cum
iis lubeat nequitiae libellis, qui a nefandae impietatis hominibus
cotidie tamquam improbi numi excunduntur, et adsidue legun-
tur, componere, ab his certe, opinor, loca ea, sic quae censemur,
culparum quasi notis compuncta, nequitia vel centies superabun-
tatur. Fuit propterea nemo, esse nec potuit paullo intellegentior
æqui bonique aestimator, hos qui legere veterum libros facile
dissuaserit et non commendatos potius voluerit quam diligentissime.
Si fuerunt tamen forsitan quipiam, contra qui clamitarunt,
crabronibus parumper irritatis, stomachosiores, sub pallio certe
pietatis exstiterunt scelerati,

Seu mala quos cepit fraus et fanaticus error.

Aut ii non numquam verius, qui maligna et insectiae quadam
correpti febricula laborant, atque propterea nihil non, et quicquid
in bonis litteris pulchrum aestimandumque est, nec ipsi vñquam
satis intellegunt, ob mentis morumque recordiam canina quasi
facundia nequiter allatrant. At enim vti ferendus in litteris
homo est, quamvis parum vel nihil didicerit, paruula modo sua
se se dimetiat ex supellectile, nec de rebus, quas minime capit,
petulanter iudicet, neque ausit iudicare; sic eo quidem homine,
qui prava ne magis stupiditate nescio, an tumore alio quodam
inepto inflatus, de rebus grauioribus, neque quicquam ad se per-
tinentibus iudicium intemperanter suscipit, nihil esse videtur in-
tolerabilius. Accidit enim semper, vt istius generis homines,
dum ita censem temerarie, aut insipidos aequa fecuti, aut melio-
res forsan, quos non planius tamen perspiciunt, aut corrupto suo
ex sensu nihil certe ex intellegentia iudicent. Quae cum ita
fuerint in hanc a me sententiam ferme prolixius disputata, hae-
reo sane, vnde tot ineptae sint de veterum poetis, deque tota hi-
storia fabulari opiniones coortae, atque ad ineptias vsque deri-
sumque aliter diuulgatae, praeterquam quod pleraque censemur

© Ad I scoratem et alibi. Taceo imo complures solide doctos; qui partim adhuc in
vnius summa cum laude ita praecepint. Vide tamen insuper Ant. Blackvall de
Praefontia classorum auctornis, Lips, 1735 a pag. 94 sqq.

pars et artis huius imperita et in vetustis minus versata monumentis extiterit. Conuenit saltim et constat apud eruditissimum quemque, istis in libris et pracepta philosophiae, et virtutum exempla aliae insignia fictionibus obuoluta delitescere, quae ni protraxeris tamen prudenter, idoneaque interpretatione illustraueris, uti cum Athenaeo lanus Vuouerius (f) loquitur, sub cortice saltim sine fructu pereunt. Haec idcirco et similia mortuum emendationi inferuentia pueris tradenda praecipiebant veteres, quod idem ille ex hisce Strabonis dictis: Ιεσπαιδας δι των ἐλληνων πολεων πρωτησι διο. Ηγ. ποιητης παιδευστην & ψυχαγωγιας χαριν, αλλα σωφρονισμα λ. praecclare ostendit, atque cum aliis multis intellegenter Lucianus edocet. Plures enim testes in re valde dilucida et millies iam euoluta probataque allegare, actum ne videar egisse, subdubito. Erat interea grammaticorum, hominum scilicet doctissimorum (h) huius generis enucleare, quoniam nunc abstrusae nimis videbantur et reconditae, nunc ob veritatis etiam delitescentis expectationem utilitatemque (i) cupidissimae. Difficultatibus istas scilicet res fuisse implicitas vel adhuc experientia testatur, neque Plutarchus, k) insignis sane polyhistor cum aliis diffitetur, quando πανδοκης Ιων εμφασεις Ηγ. αληθειας ait habere fabulas, ad quas indagandas deos iχνηλα Ηγ. requiratur. Nihil interim, de diversis fabularum generibus sensuque earundem vario, in praesenti edisseram, istud quo sapienter factum ab aliis (l) esse satis præclare

f) In elegantiss. libro de Polymath. c. X. p. 83, ubi et totum fere caput meretur perlegi, plura dum in re dicere notissima dispuler.

g) Περι γραμματων seu in Dialogo Solonis cum Anacharside p. m. 727 sqq. Conferre possunt, quae Eusebius in Praep. Euangel. L. XII. p. 575 sqq. ex mente Platonis differit.

h) Distinguendum enim est inter grammaticum et grammaticam seu litteratorem, quod sciunt periti. Infinitam enim vim paene ac materiam Grammaticus, teste Suetonio, scientia et cognitione comprehendit; alia quippe grammatices pars erat διορθωτικη, alia μανγανικη, εξηγητικη alia et demum κριτικη, utri praeter alios docer Langbaenius ad Longin. περι νύβες. p. 40. Edit. Toll. vid. vna Maiorag. Quae. Epist. L. II. a p. 174. et Vuouerius in libro cit. optimae frugis plenissimo.

i) Offendunt hanc intellegenter Camerarius in Element. rhetoric. a p. 22. Melanthion in praef. ad fab. vulgo Aesopeas; et Verulamius I. c. L. II. passim.

k) In Libro de Iside et Osiide, locum repente Ven. Vuolfo in diss. I. de mythica moralia tradendi ratione §. 5. Vit. 1704.

l) Vid. Vuolffius modo laudatus in dissert. II. Iac. Thomasius in diss. de fabulis poetarum, earumque sensu vario. Lips. 1676. It. Paschius in pari causa prolixo veritus.

clare teneo. Multo minus lubet etiam eos sollicitius recensere, qui partim ex antiquis, partim recentioribus hanc sibi operam sumtam in genuino fabularum eruendo sensu diversimode posuerunt. Necit enim nemo vel leuiter litteris imbutus, in antiquis iam Pelæphatum, Heraclitum, Heraclidem, Phurnutum seu rectius Cornutum, Sallustium, (m et Hesiodi interpres Ioh. Tzetzen, Proclum, Moschopolum, pariter et Eustathium ad Homerum; et recentiori aetate Natalem Comitem, Bocatium, Gyraldum, Verulaminm, Ez. Spanhemium, Clericum, Huetium et alios complures deque una alteraque caussa sigillatim exposuisse. Omnes vero hi an idoneis semper usi doctrinæ prudentiaeque adminiculis, et decenti ea sint cautione, quam supra requisivimus, rem eiusmodi aggressi, planius enunciare, deque uno quoque interpretantium confiteri prorsus, subvereor. Sunt nimurum, qui sub antiquorum fabulis modo heroas et heroinas vel historiam duntaxat delitescere sibi persuaserunt, vel ad sacras nihil non litteras detorquere et *κανονιγήλιαι* profanorum hominum maluerunt adscribere. Omne tamen caussam, ita qui discep tant perpetuo, neque acute satis verum, nec subtiliter cernere in singulis, ecquis ob apertam saepius discriminis rationem diffitebitur? Quamuis haut omnino negemus, rerum sacratissimarum scrinia compilasse nonnunquam veteres paganos scriptores; istud quia per se patet euidentissime vel identidem etiam viri præter Huetium (n dedere probatum doctissimi, quorum Petrus Zornius (o magnam seriem recensuit. Interea quemadmodum fit, vt, qui vna quasi capti opinione nimium videntur, sese intra cancellos rarenter contineant, conenturque secundum illam omnia huius generis interpretari; sic idem puto Huetio pariter et multis accidisse, qui præcepti opinionibus, leuique non nunquam permoti similitudine, hoc sese modo et alios vehementer deceperunt.

m) Exstant iunctum in Thome Galii opusc. Mythol. etc. Cantabrigiae 1671 et Amste lod. 1688. 8nis, de quibus singulis, is er qui proxime sequuntur, exponit I. A. Fabricius in Bibl. Gr. suis quidem in locis.

n) In demonstratione Evangelica, et quidem cum in opere passum, tum in praef. Edit. quae Lips. 1703 prodit, nec non suis in scriptis pluribus.

o) Ad Hecat. Abderitæ Eclogas f. fragm. p. 187. it. in prolegg. hisce praemissis pariter ac in praef. ad Biblioth. Exeg. Antiquar. in que hac ipsa a pag. 805 sq. Cl. Petr. Kuntz in sacra et prof. *αρχηγίουτεν* Hist. p. 5. et quos largiter ibidem citat.

runt. Aberrant similiter, nec parum, a vero, risumque debent prudentioribus, qui ad historiam dilati antiquam fabularem, nulla non, quæ de diis ibidem commemorantur, simpliciter accipiunt, et quo praesidium nanciscantur, nunc ad Homerum, nunc Hesiodum, Ciceronem, aliumue in vetere ætate scriptorem celebrem indiscriminatim et sine prævia sobriaque intelligentia provocant. Namque infruniti eiusmodi et minus cati bonarum litterarum æstimatores non parum periculosi sunt iis, qui nondum sciunt

Candida de nigris et de candardibus atra, (p) sapientius discernere, dumque istud agunt, veterem superstitionem, quæ in se prava quidem, periculosa tamen non est, sua inscitia reddunt noxiā, quia, quod veteres nec somniarunt unquam, imperite dicam magis, an scelerate inferunt. Cautione omnino hæc, ut iam sèpius monui, quam maxime indigent. Veterum scilicet hac in causa superstatio luxurians, nimisne vituperanda, nescio an horrenda magis existiterit, quum populi diuersi partim ex linguarum genio nomina deorum suorum immutarent, partim etiam pro immensis unici veri et diuini numinis beneficiis noua fingerent eademque insigniter adaugerent. Quinimo eo devenerunt libidinis, ut quicquid insignitet iuaret, vel noceret. Deorum, Dearumue appellarentur nominibus, quæ quidem res nefanda et αποθεωται postmodum licentiori dedisse originem viri iam explicuerunt eruditissimi. (q) Summum licet alioquin et unicum ens, illud scilicet αγαθον, quod θεον καλέσοχην appellabant, et supra omnem cultum evehebant, venerarentur in profanis sapientiores, si abstinerent a fabulis, quod itidem docte alii demonstrarunt. (r) Ex quibus quidem singulis luculententer apparet, cur ab ipsis primordiis coepérimus, cautiusque

mecum

p) Ouid. Metam. L. XI, v. 316.

q) Celeb. J. D. Schoepf in Tr. de Apotheosi etc. Argentin. 1730. v. Dalen, de Oraculis veterum p. 625 sqq. et in primis A. Chr. Eschenbach in Epigene s. de poesi orphica pallim.

r) Lactantius de falsa religione L. I. opp. p. 28 sqq. it, Eusebius in Praeparat. Euangel. per exemplum ibidem a pluribus profanis defunta rei veritatem L. XI, c. 13. a pag. 530 et 664. prolixè neruösusque demonstrat; conf. vna S. R. J. G. Carpzou, in diss. II. de veterum Philosophorum circa naturam Dei sententias Lips. 1699 et A. Chr. Eschenbach, l. c. p. 118 sqq.

mecum putarim, et bene doctum, et pium, et verae religionis sanctitate diligenter munitum huius generis res sibi requirere. Vindicanda enim est prisca temporibus sua dignitas et reddenda, ne inqui nostra videamur inficitia; praemuniendi vero etiam sunt adolescentulorum animi et bene docendi, ut, quantum nos istis simus hominibus feliciores intellegant, turpia quae sunt, norint et fugiant, bona vicissim teneant, ne postmodum sibi solis relieti misere periclitentur. Quae cum prolixius tantum non, via tamen adhuc compendiaria, multa quoniam reapse dicenda supersunt, disputauerimus; ipsam nunc rei arcem ingressi aliquo insuper exemplo omnem simul caussam conficiemus. Sistet illud nobis in praesenti Apollo, inter profanos celebratissimus, de quo, nescio quid sibi ridiculi complures in doctis etiam persuadent, quemque ipsum fuisse temere autumant. Apollinem autem nec omnino Deum ex vera, sed tralatitia magis ea profanorum hominum opinione, quam supra connotauimus nec heroem sane, nec Mofen, quod Huetius sibi credit, sed solem fuisse vnicum, ut nullum non comprobant apposita, firmabimus. Quamobrem si notatio ex Eustathii sententia est Λογος επαληθιζουσ-
νη δεινων θηραξιν θηρι φυσει τε πραγματος^(t); nominis ipsius lubet antea natales paucis anquirere. Apollinis igitur nomen multiplici ad solem referri interpretatione confitetur et ostendit Macrobius, uel is fortasse, quem exscriptis, potius. Est vna Platonis sententia, qui solem Απολλωνα απο τε πολλειν θεο-
αυτων, id est a jactu radiorum, seu

dum radiis circumdata solis imago (x)

cognominatum scribit. Altera Chrysippi habetur, Apollinem aientis ως εχι θων πολλων ναι Φουλων γασιων τε πυρος οντο, vel rem uti postea explicat, οι μονος εστι, ναι εχι πολλοι, unde solem etiam latini, quia tantam claritatem solus obtinet, Varrone(y) praeter Macrobium teste, vocitarunt. Silentio reliquas

B

Speusippi,

s) I. c. a pag. 177.

r) Vid. Lamb. Bos in diss. de Etymol. graec. p. I.

u) Saturnal. L. I. p. 199.

x) Ouid, in Ibiin. v. 71.

y) De L. L. ap. Perottum p. 1063. quocum sentit Cicero de Nat. Deor. L. II. p. 310.
Apollinis nomen, aitens est graecum, quem solem esse volunt, cum sol dicitur sit, vel

Speusippi, Cleanthis, Cornificii, quas vna exponit, opiniones praetereo, tum quia dictis conueniunt, tum quoniam ab uno quoque possunt faciliter evoluti negotio, cui volupe est. Plane ad sententiam in disputatione cum Orpheo et Porphyrio instituta accedit Eusebius (z: καὶ ἡλις δὲ Ἰην Ιονίδε δύναμιν υπολαβόντες αἰσθάων προσειπον απὸ Ἰην ἵων αἰλιῶν αὐτές παλσεως λ. Omnes in dictis vna veterum poetarum et philosophorum congruent opiniones, de quibus postea prolixius. Eiorem enim statim connotabimus, quem docte commisit B. H. Gebhardi Prof. Gryphisvaldensis, (a quum Apollinis originem proxime inueniendam putarit in בָּבֶל. Creticos ibidem censet littera אַיִלְעָה assumta, pro בָּבֶל dixisse Αἴλιος, eundemque ideo habere significatum, quem מְלָא. Quibus tum explicitis paullo copiosius, inuentam a se praecclare ita opinatur et nominis et fabulae originem, ut is Apollo haberi debeat, qui ex effato mosaico, serpentis caput contriturus legitur. Silentio inuoluo reliqua ob leuiorem fere similitudinem operose quaesita magis quam vere. En! tamen sine cautione, loco veritatis, somnium; rem neque ex natura et fontibus exquisitam suis, nec veterum sententiis connixam; sed e cerebro natam et commentitiam. Procul etiam haud abest, quod ad nominis potissimum notationem attinet Philippus Turrius, (b cui Apollo esse בָּבֶל vel בָּבֶל videtur; Quae itidem opinio, sit ne primum petita sollicitus, et vix ideo admittenda, nescio. Deinceps vim etiam probabilitatis longe maiorem habet, graecos homines, quum sub Apolline solem complectenterentur, nomen eidem ex lingua sua, et naturae conuenienter indidisse, veluti constat de aliis populis, notationes que

quia solus ex omnibus sideribus est tantus, vel quia, cum est exortus, obscuratus omnibus, solus apparet.

2) l. c. p. 112, coll. p. 815.

3) In diss. de Paeani, Gryphisvald 1707. p. 9 sqq.

4) In diss. de Beleno apud Zornium in Biblioth. Antiquar. Exeget, p. 128 sq. Quemadmodum nomen Beleni pariter, quod licet in transitu animaduertere, nimis anxie in vocibus Syris בָּבֶל et בָּבֶל quaevis videtur, quia ob singula, que sunt simul pensativa eiusmodi notatio vacat probabilitate. Possunt esse origines multo simpliciores, et quaeri vel in βελος, quo caelum seu astrorum aerisque ambitum veteres denotabant unde βελαινος, vel etiam ex βελος, ut Pithoeus credit, quod tamen in medio iam relinquimus.

que ante modo a nobis indicatae luculenter demonstrant. Opinanuntur denique alii (c dictum Apollinem *ως απολλυντα*, dum perimit animantes, cum pestem caloris intemperie immittit, secundum illa Euripidis: (d)

'Ω χρυσοφεγγες ἡλι, ως μ' απολεσας
Οφεν σ' απολων εμφανως ηλησει βρολος

Haec singula igitur, quaecunque velimus etiam veri putare similiora, sibi saltim optime inuicem constant, Apollinemque nobis tamquam solem ex veterum sententia praecclare ostendunt. Quinimo ex dictis apparet Euripideis, et iis, quorum partem aliquam insuper recenset Macrobius, quam vim sibi requirat απολλυειν, de Apolline quatenus dicitur, ideoqne illos homines vehementer errare, qui Apollinem *ἀπ' απολλυειν*, ob similitudinem spurcum istum spiritum intellegunt, Pythiumque a νη subinde formandum esse hallucinando adopinantur. (e) Videmus et hic quam facile falsa opinio vna alteram pariter p̄fogignat, cui nec subscribere minus cati non numquam dubitant, praesertim si errori auctoritatē inhaerere intellegant. Atque haec quidem de nomine; vbi nostrae, quam primum ediximus, sententiae nihil non conuenit. Erit deinceps neque vlla nobis pugna, certe vti opinamur ea in causa, qua solem afferunt Apollinem, Horum, Dionysium, Osirida neutiquam inter se se differre. De primis enim duabus appellationibus iam satis superque visum est. Tertiī nominis ratio exstat apud Eusebium, (f) qui dum hanc rem exponit: ita sol, inquit, quatenus per singulas inferioris mundi *wpas* i. e. tempestates suo motu circumfertur, statasque anni vicissitudines efficit, Horus propterea nominatus. Dionysii nonenitidem Eusebius antea statim explicat, vti et cum Macrobius

B 2

intelle-

c) Macrob. I. c. p. 199 sq.

d) In Phaethont. quem locum seruat Macrobius I. c. cum alioquin haec tragedia perierit v. Fabricius in Bibl. gr. L. II. c. 18. p. 623.

e) Vid. Zonius I. c. p. 685. Huic merito preferenda est sententia apud Macrobius I. c. quam firmant exempla, cf. et Hom. iA. 2. v. 43. et Barthius ad Stat. T. II. p. 204 et 215. Neque conueniunt ΗΕ et Pythius, quum graeci homines Apollini omnino ex lingue propriae penu nomen imposuerint, vid. igitur Macrob. I. c. p. 205 qui verius sentit.

f) I. c. L. III. p. 113, coll. Macrob. I. c. L. I. c. 21. p. 218.

intellegenter A. Chr. Eschenbachius. (g) Quin ex nominis vi-
tandem et potestate Osirin esse πολυφθαλμον ideoque nihil
a sole prorsus differre pari docet in causa probatque Eusebius (h)
addens insuper ἐινῶς πάντι γυρ ἐπιβαλλοντα τας οντινας,
ώστερ δφθαλμοις πολλοις βλεπειν ἀπασον γην και θαλασ-
σαν λ. Rei adhuc veritatem poetae antiquissimi dicta haec
iunctim sic tradita egregie firmant: Ἡλιος, ωρος, οστρος, αναξ,
Διονυσος, Απολλων, ωρων και καιρων Ταυτης ανεμων τε και
ομβρων, Ηρες και νυκτος πολυτασερος γην νωμων, Σαφλεγεων
ουρων Βασιλευς, ηδ αθανατον πνω. Singula vti debemus Eu-
sebio; (i) sic ea prorsus in se sunt indole, vt si quis dubitet de
sole intellegere, risum sane ob stuporem nequaquam effugiat.
Aliter tamen quodam modo videtur Turrius (k) existimare, dum
in physica quidem interpretatione istud valere, in mythica vero
non aequae theologia iudicat. Verum nimiam miror hominis
subtilitatem, inque cernendo perspicaciam, quum ea velit paene
curiosus sciungere, quae rei tamen natura et suborta exinde
posthaec supersticio arcte quasi copulauit. Sunt enim haec duo
non adeo in repugnantia posita, vt alterutra modo sententia dici
vera debeat. Est ea potius vtriusque interpretationis lex et ra-
tio, ut, mythica quae vocatur, intellegi sine naturali et physica
plane nequeat, eademque hac firmissime nitatur. Exempla
docent consensum; rem imo fabularem ex illa coepisse originem,
solem neque distingui umquam ab Apolline comprobant. Te-
nendum tamen et hoc est, auctores non promiscue omnes sem-
per posse in consilium vocari, quum ex vulgi quidam sint in-
terdum opinione locuti; nobis et dein multo minus licere, vt,
quod statim vere et subtilius non cernimus, nostris opinationi-
bus futiliter interpolemus. Nihil subinde nobis Turrii acumen
officit; negat neque rem Eusebius, (l) miratur modo, esse qua
potuerit Apollini patria Delus, et Latona mater? Rem igitur
ex

g) Eusebius l. c. Macrobius l. c. c. 18. p. 208. Eschenbach. in Epigen. p. 42 sq.

h) l. c. L. I. c. 9. p. 27.

i) l. c. L. III. c. 15. p. 125. Vedit hinc sine dubio non omnino recte, qui notulas ad
Baelium theoticas adiecit dum falsam distinctionem communisicit, et alia perperam
infert.

k) Apud Zomium l. c. p. 128.

l) l. c.

ex unico Homero (m sciscitabimur, qui quidem, quo antiquior est, eo simplici magis oratione vtitur.) En! verba

λητω δ οὐκ μιμε παραδι τερπινεραυνω

Η ρα βιον τ' εχαλοσσε και ειλησσε Φαρετρην ι. λ.

Latona igitur græcis λητω απο τα ληθει latere, terra est, seu si malis, rudit illa et indigesta moles, in qua sol, sicut reliqua, primum delituit, quaque et pharetram vel radios remisit, quos solares, ex mente poetarum antea occluserat. Delus, patria dicta, graecis est δηλος manifestus, splendidus. Igitur in Delo seu manifesto et luce dicitur natus ουτο τα δηλα και Φαιερα παντα ποιειν τω Φωτι, quod prodeundo statim omnia suo lumine collustrarit. Delum inde insulam alioqui notam satis ob similitudinem finixerunt poetae, quemadmodum alias etiam rationes subnecit Macrobius, quas, qui videre cupit, adeat, quia transcribere in cassum iudico. In Orphicis ideo apud Macrobiūm (n) solem seu Apollinem dictum legimus:

Ευβεληη τ' αντα και οιταυγη οιρδηλον

vbi ea simul contulisse, quae praecedunt, haud poenitebit. Hic ceterum orphei versiculos solem seu Apollinem boni consilii praestitem monstrat. Rationem, ne mirum videatur, subiicit statim Macrobius ex superstitione tunc veterum opinione. Si mentis enim, inquit, conceptu nascentur consilia, mundi autem mentem solem opinantur autores, a quo in homines manat intellegendi principium, merito boni consilii solem antistitem crederunt. Atque haec vere sic explicari apud Macrobiūm ex prisca nempe veterum sententia in multis aliis antiquioris graeci poetae dicta ea comprobant, quae latine conuersa reddimus: (o)

Sol quia cuncta procul cernitque auditque per orbem

it.

Qui cuncta mouetque regitque

Consilio. Vox nulla potest, sonitusque nec ullus

Huncce lovis sobolem strepitus, nec fama latere.

B 3

it.

m) Hymn. in Apoll. a v. 5. sqq. cf. vna Macrobius l. c. p. 205 sq.

n) l. c. p. 210 sq. it. Eschenbach. lib. cit p. 42.

o) Vid. Eusebius l. c. L. I. p. 29 et L. III. p. 100. conferri et passum potest Celeb. Eschenbachius.

it.

Sic animi sensum, et caput immortale beatus
Obtinet :

velocibus idem
Natiuisque ruens circumuolat omnia pennis.

Ex quibus singulis perfacilis intellectu est ratio, cur solem et Apollinem consiliis et oraculis antiquiores praefecerint, eundemque, quasi *όπω τε δηλευτικούν* voluerint Delphium vocitare. Cum enim omnia per orbem terrarum universum circumspicere solem, atque, passim quae agerentur, intueri; ideo et posse illum futura prospicere ad utilitatem profani crederent homines pro caeca superstitione, istud sic esse factum praecipue, nemo diffitebitur. Conueniunt poetarum certe antiquissimorum fictæ et commentitiae fabulæ, complures imo quam maxime descriptions in eandem saepius sententiam feliciter exornatae. Putabatur haec quasi ratio, uti loquitur Philo, (p) ne quis mente offendaret caligante tamquam caecus in tenebris, et bona quaerens in aduersa impingeret per imprudentiam; sed potius futuri praescius mente defixa, non aliter sibi caveret, quam corpori praecavet oculorum ministerio vitans quaecunque incommoda. Quid enim rem veram sole magis aperit, omnemque dispescit ex rebus humanis tenebrarum caliginem, ea potissimum ratione qua sentire rem homines isti consueuerant, et quam sexcentae dicendi commonstrant formulae. Mundi etenim cor perhibebatur in aureo suo sidere possidere, (q) En igitur in superstitione rationem satis planam simul et perspicuam; in veritate contra, quam nos propiore reuelatione collustrati tenemus, prorsus caecam et sane inutiliem. Similitudine dehinc ea, quam paullo ante ostendimus, aut quia in terrarum umbilico situm censemant esse opidum, commoti Delphis oraculi sedem, Phocidis in regione, prisci sine dubio constituerunt. Interea quis explicare singula, quae fabulis adeo dederunt inuoluta et implicita paene ad amissum sustineat? Nihil tamen, si planius dicendum, nisi fraudes

p) De Legatione ad Caium p. 779, cf. et Barthius ad Stat. T. III. p. 492.

q) Vid. Barthius ad Stat. T. II. p. 213, qui aliquos Procli versus, ad firmandam opinionem, exhibet.

des plerumque ibidem consutas ab hominibus, qui eam ob causam aderant, et data esse responsa prorsus ambigua, Apollinemque tribuere aut edicere nec quicquam potuisse, quis tam sine aceto dubitat? Quibus interea vere ita, ut opinamur, enucleatis, ne minimam saltim adhuc Mosis cum Apolline deprehendere conuenientiam licuit, neque poterit hanc quisquam facile somniare, licet se videre plane Huetius(r crediderit. Dispiciemus itaque alia. Καρψίς autem nomen Apόλλος apud Callimachum habet, ille quod esse ex ἡρός coniicit; Macrobius contra censet fieri οὐτὶ καρψίνος οράται, quod graece doctis etiam ob naturae ac formationis indolem magis probabitur.(s) Si velimus tamen in Huetii sententia discedere, dicine subinde Moses et Apollo idem poterunt? Huc porro, ait, accedere, Apollinem in Libya natum et lōuis Ammonis filium fingi a quibusdam; subnectit et alia, quae possunt evoluī, et quibus ostendere probabilitatis rationem connitur. At enim destitutus testimoniorum et sine omni veterum consensu haec ita loquitur, adeo ut vix recensita sponte concidere dicta videantur. Deinde nec in Libya aequē quam Lycia natus Apollo dicitur(t; λυκηνός autem non terram graecorum antiquiorum, sed primam lucem, quae solis praecedat exortum appellauerunt. Acutius tum in his vidisse haud censebitur, quando χρυσοπέρας a poetis, χρυσοπόμης et ανεργενόμης appellatur, istaque cognomina propter fulgorem e molis vultu exentiū haesissē Apollini autumāt. Quanta enim probalitatis vi aust̄ haec ita colligere, ex quibusdam veteranū locis, quaeso disceptemus, ubi sua ex natura sol seu Apollo describitur. En vnum ex Orphei petitum carminibus et latina versum oratione;

cui pendula circum

Aureaque astrorum multo se lumine fundit
Caefaries; geminumque alto stat vertice cornu
In tauri speciem rutiloque accenditur auro etc.

Liquet

t) In Demonstr. Euangel. p 177 sq.

s) Niſi eam complecti magis sententiam lubeat, quam exponit Eusebius I. c. L. V.
p. 210 sq.

t) Hinc λυκηνός Apollo vocatur saepius e. g. apud Hom. IΛ. δ. v. 101 et 120. cf. una
Macrobius I. c. p. 203 sq.

v) Eusebius I. c. p. 100.

Liquet igitur ex his, cur soli pariter ac lunae *Χρυσοκερως*,
natura quidem cui libet sua, quam maxime conueniat, non au-
tem eam ob rationem, quam altius repetit Huetius. *Χρηστον-*
μη praeterea et *αιερσεκομην* vocari Apollinem ex pluribus veter-
rum constat locis. Velut Hesiodi: (x)

Χρυσοκομης δε Διωνυσος λ.

Valerii Flacci: (y)

Sol auricomus cingentibus horis
Multifidum iubar et bisseno sidera textam
Loricam induitur etc.

A fulgore scilicet nitido comas solis aureas vocant poetae;
Apollinem similiter *αιερσεκομην* seu intonsum vocitant, quoniam
radios numquam licet a fronte lucis auellere. Loquuntur au-
tem ita Homerus: (z)

Φοιβος αιερσεκομης, εκαινιζολος

Idem: (a)

Φοιβος αιερσεκομης, ηδ αριεμις ιοχειαιρο.

Ex latinis pariter Tibullus: (b)

Tandem cum summa Phoebus prospexit ab ortu. etc.
Intonsi crines longa cervice fluebant.

Idem: (c)

Solis et aeterna est Phoebo Bacchoque inuenta.
Nam decet intonsus crinis vtrumque Deum.

Idem! (d)

Annuie, sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli,
Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

Ouidius! (e)

Vtque meum intonsis caput est iuvenile capillis.

Idem: (f)

Talibus intonsum compellat Srainthea dictis.

Nec

x) Ody. 947.

y) Argonaut. L. IV. v. 94 sq, cf. simul erudit. Barthius in aduers. L. XXVIII. c. 18.
p. 1340. vbi locum una emendat et L. XXXIV. p. 1569.

z) Hym. in Apoll. n. 14.

a) Ia. u. v. 29. vid. pariter Aelian V. H. L. I. c. 20 et Periz. ad h. I.

b) L. III. Eleg. 4. v. 21

c) L. I. Eleg. 4. v. 37 sqq.

d) Lib. II. Eleg. VL v. 83 sq.

e) Metam. L. I. 564. f) Metam. XII. 585.

Nec minus illa conueniunt Virgilii: (g)
Aetherea dum forte plaga crinitus Apollo
Desuper ausonias acies, urbemque videbat
Nube sedens etc.

Quae singula vti Apollini seu soli congruunt rectissime; ita intonsus, h comosus, crinitus, quae quidem nomina Phoebo passim attribuuntur, non tam re ipsa, quam modo differunt. Sminthens dein apud Ouidium vocatur Apollo, a σμυθος, vt aiunt, et quam vocem cretensem dialecto, murem significare putant, cuius nempe generis animalia, quum agrum infestassent aliquid, extinxerit. (i) Verior tamen ea videtur ratio quae exstat apud Macrobius, (k) Apollinemque dictum censet, οτι ζεων θεος, quia feruens currit. Priori si velimus autem tenaciter inhaerere, et alteram connectere sententiam pro solis affectione et natura, puto etiam fieri probabiliter posse, licet non ex vulgariter assumta et recensita illa, quam quidem alia ea, cuius repetenda verissima ratio ab Aegyptiis videtur. Aegyptii enim homines, quatenus destructionem seu agrorum corruptionem deuastationemque uolebant significare, murem sua pingebant consuetudine; vnde solem, Apollinem, dum nimio aestu et calore, agros deperdiderat exscicatos, horumque effecerat sterilitatem Sminthium dictum esse uerisimilius, haud perperam coniicio. (l) At enim ea nondum licet relinquere, quae patris exponere paulo antea coepimus. Barbam scilicet diis suis quum affingerent veteres vel ob maiestatem, vel rei naturam, quae sub istis imaginibus delitescebat, quod sigillatim exposuerunt complures; (m) Apollinem tamen semper liberali facie et sine barba pictum fuisse deprehendimus. Vnde in primis accidit, vt *anepotenous* a poetis

C et et

g) Aeneid, L. VIII. v. 638 sqq.

h) Tonus enim homo est, cui absissa est coma, intonsus contra capillus seu crinitus; et velut intonsi montes, sunt siluosi, sic intonsus Apollo, ob radios esse semper comosus et crinitus censetur. Vid. vna Perottum in Comment. L. L. p. 919.

i) Vossius Inslit. Orator, L. III. p. 332. Lactantius L. I. c. VII. opp. p. 47 et in notis subiectis Edit. Bunem. it. animaduers. ad Baelium T. IV. p. 341. Edit. Lips. quae tamen plerumque hic falsae sunt.

k) l. c. p. 205.

l) De mure agrorum vastatore vid. Carol. Patinus ap. Zornium l. c. p. 743.

m) Vid. Ven. Gublingii diss. II. de Barba Deorum Vit. 1725. Iac. Thomasius de barba Lips. 1676 et G. C. Kirchmaieri diss. de Maiestate et iuribus barbae. Vit. 1698.

et *αιει καλος ναι αει νεος* diceretur sol sine Apollo. (n idem quia
perpetuo conspicitur, nec radii queunt, quibus explendescit,
auelli. Vel si paucioribus sit tota finienda ratio, factum id esse
puto, sol quia senescit numquam. Existare idcirco Apollinis
medici simulacrum marmoreum romae in hortis pontificis secre-
tis, commemorat Meibomius. (o Videri Apollinem, ait, facie
iunenili, et imberbem. Ratio tamen, quam subnectit, minus
serio dicta nec prorsus idonea putabitur. Haec enim, ob quam
rei medicae antiqui Apollinem praefecerunt, non sane ab ea, de
qua contendit, quam a prisca medendi consuetudine verius pete-
tur, quum herbis et pharmacis huius generis aliis nutriendis
nihil possit ipso sole contingere utilius. Quamuis et subiuncta
ratio suis debeat cultoribus apprime salutaris iudicari. Videmus
interea neque adhuc in iis omnibus, quae ex veterum sententiis
disputauimus, tam acute, ut cum Huetio Mosen sub Apolline
liceat cernendo distinguere. Quam ob rem nec confiteri dubi-
tamus, quin illius iam in cerebro extiterit, ex quo mentem ap-
pulit ad scribendum, aut scribenti certe sensim obuenerint. Mul-
to minus etiam ea quondam cum Mose similitudinem p[ro]fe-
ferent, quando antiquis Apollo propriis quasi nominibus dicitur
ενα ιηβολος, (p) *εναλος*, (q) *ειηβολος*, (r) **κλυτολοξος*, (s) *εναεργος*, (t)
αρυπολοξος, (u) vel quando illa memorantur apud Homerum: (x)

εμετησε δ' απολων

περγαλης ενικοιδων λ.

Singula fodes ea quidem sunt indole ut ad Apollinem, i. e. solem
quam maxime, ad Mosem vero ne vi quidem, nedum vlla possint
similitudine accommodari. Restat, ut de lauro, Apollini olim
apud veteres sacra insuper pauca quaedam commemoremus. O-
mnium res quidem est fere notissima, quam vel fabula ista de
Daphne

n) Vnde probanda non est gemina ratio, quam dedit Ven. Guhlingius l. c. p. 10. factum
ideo esse opinatus, quum numquam indigerit nouaculae vel ad coronam auream
tendendam, vel ad barbam, quae ipsi numquam succreuerit.

o) In Comment. eruditiss. ad Hippocr. op[er]a. p. 32

p) Homer. odyss. Θ. n. 20. et ΙΑ. ε. v. 444.

q) Homer. in Apoll. Hymn. v. 1.

r) ΙΑ. ω. 21.

(s) ΙΑ. δ. 101.

t) It. δ. 439. et H. 34. in Hymn. Apoll. n. 2 et 20.

u) It. ω. v. 55. et pluribus passim in locis.

x) It. δ. 507. quo et referentur illa Virgilii modo recitata.

Daphnē probat ab Ovidio (y) confīcta. Δαφνή enim et laurus non invicem differunt. Atque vti rei naturam in fingendis vocabulis diligenter respiciebant veteres, dītaqne δαφνη ex δαισθαι φωνει vere censemur; sic laurum vel a laude vel ex eadem posthaec forma δαφνη seu λαφνη cepisse nomen opinamur. (z) Namque secundum poetam et caussae veritatem:

Nec res vlla magis, quam Phoebi delphica laurus

Terribili sonitu flamma crepitante crematur.

Quinimo notum in proverbi illud est: lauro ardente clamosior, de quo potest Erasmus (a) videri. Natura igitur arbori huic stictitas quedam et calor intensor, vis item esse ignea, dumque uritur, sonare dicitur, quae etiam ratio vera Eusebio (b) videtur, cur sit Apollini, hoc est, soli potissimum consecrata. Vim scilicet inesse lauro praedicendi seu fatidicam putabunt veteres, veluti haec saltim Tibulli edocent: (c)

vt successu sacris crepitet bene laurea flammis

Omine quo felix, et sacer annus eat.

At laurus bona signa dedit etc.

Quamvis et hanc alii profiteantur, istud factum scilicet esse properter vigorem perpetuum, quem deponere numquam soleat laurus. Vtramque tamen possimus, si lubeat, apte sententiam coniungere. At enim prolixius hic commorari non vacat, nec licet, nisi scopi velimus rationem plane superrefugere; quod de singulis sigillatim, si velit Deus, poterit suo tempore fieri copiosius. Quamobrem id potius agendum a nobis nunc esse arbitramur, in cuius gratiam praeципue hanc leuiores pertexere opellam instituimus. Vos subinde *Patroni* atque *Fautores*, qua decet obseruantia et humanitate vehementer rogamus, vt nostros quosdam adolescentulos, quorum oratiunculas statim indicemus, singulari vestra dignari beniuolentia, nec adsperrnari omnino velitis. An laurum sit vnum illorum quisque meriturus, meum non est citius diuinare, sed vestrum magis, qui arbitri se debitis. Neque indig-

y) Metam. L. I. a v. 452.

z) Chil. II. cent. VII. n. 22. p. 407.

a) I. e. L. III. p. 112.

b) Vid. tamen Martinus in Lex. sub h. v. it. Chr. Caldenbach. diss. de Lauro. Tubing.

1670. p. 4.

c) Lib. II. Eleg. VI. v. 43 fqq. vid. ad h. I. prolix interpretes.

QKTH 735 X3373152

nabimini, si adeo barbati non omnes appareant, quin vel ipsum
sciatis imberbem fuisse Apollinem, Haud enim barba, nec aeta-
te, sed ingenio metimur sapientiam, quod Plautus(d) iam ita
putauit. Dicent interea hi, et quidem

CHRISTIAN. GOTTHOLD PEIPER. Boleslau. Siles.
de felicitate homini quidem per se destinata, vulgo tamen stolidae neglecta.

CHRISTIAN. GOTTLÖB. FIEBIGER. vuiesa Lusat.
exponet: *Litterarum studium, quo difficilius saepe videtur, eo magis
allicere.*

FREDERICVS VILELMVS PFITZNER. Hirschb.
ostendet: *Vitae innocentiam, qua potest fieri, litterarum studiosum
imprimis decere.*

IOH. DAVID VUOLFIUS, Adelsdorf. Siles. dicet:
Matheseos studium ab homine docto non posse omnino abesse.

SALOMON GODFRIED HENSELIVS, Hirschb. Siles.
explicabit: *studium matheseos aciem non obtundere, sed mentem po-
tius mirifice accure.*

GODFRIED KRAVSIUS, Schuartzbach. Siles. firmabit:
modestiam adolescentibus quam maxime conuenire.

GOTTLÖB HOFMANVS, Loeuenio Siles. differet:
*De vitae genere non temere, sed pie prudenterque ac duce natura de-
ligendo.*

BENIAMIN GOTTLIEB GEIERVS, Hirschbergensis,
Verba de roma facier iam ante Ronulum cognita.

CAROLVS GOTTLIEB ROEMISCH, e Ther. Schaffg.
Prima Romae sub Romulo incrementa recensebit.

Preces igitur nostras quam humanissime iteramus, vt
quicunque bonas literas in pretio habetis, neque Scholam vestra
praesentia indignam putatis, crafstina luce die sc. XIII, Kal. Quint.
hor. VIII. matut. beniuole, volente DEO, conueniatis, eaque
gratiosa beniuolentia adolescentulos oratores singulariter adiu-
uetis; qui quidem magno sese beneficio subinde affectos, ut de-
cet, iudicabunt. Hirschbergae d. XIII. Kal. Quint.

a. R. G. CI 15 CC XXXXVIIII.

^{d)} In Trinum. Act. II. sc. II. v. 87.





OLLINEM
HISTORIA FABVLARI
ICTIM VINDICAT

ATQVE AD
CVLAS QVASDAM
ICE HABENDAS

ECENTER INVITAT
RISTIAN. LEVSCHNERVS.
PRORECTOR.

BERGAE, LITTERIS KRAHNIS.

